

1 Illustrissime Domine comes. Agnovi ex epistola Illustrissi-  
mae Dominationis tuae, quam praeclaris Dei donis persona vestra  
ornata sit: spirat enim epistola illa animum tam memorem accepto-  
rum beneficiorum, ut etiam officia perexigua oblivisci non queat;  
5 spirat amicitiae constantiam tam firmis nexibus colligatam, ut eam  
multorum annorum silentium dissolvere, ac ne laxare quidem potue-  
rit; spirat denique religionis divinae, fideique catholicae zelum  
tam ardentem, ut aquae multarum tribulationum eum extinguere non  
valuerint. Age igitur, optime Christi miles, certa bonum certamen  
10 fidei, apprehende vitam aeternam, aemulare gloriam Sanctissimorum  
principum, qui non Domini solum, sed, quod est sine comparatione  
illustrius, apostoli suarum provinciarum dici meruerunt. Pontifi-  
cem maximum, per gratiam Dei vere pium habemus, et Germaniae aman-  
tissimum; me vero Illustrissima D. V. paratissimum semper inveni-  
15 et, sive apud Pontificem, sive apud alium opera mea uti voluerit.  
Precor vero Deum, ut quod coepit bonum in persona vestra, et lec-  
tissima clarissimaque foemina, coniuge sua, id perficiat, et feli-  
cissimè consummet. Romae

---

Ioannes Comes et D<sup>nus</sup> Frisiae orientalis.

---

20 F.B.5. Brouillon autogr. Fuligatti, Bpp.famil. XXXVI.